

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5525

Auteur(s) : Pierre II, Montebourg, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1273, novembre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Les abbés de Montebourg, de Lessay et de Blanchelande, vidiment l'acte du chapitre de Salisbury sur le don de Richard, évêque de Salisbury, au chapitre de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 347, p. 508.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Petrus, permissione divina abbatie Sancte Marie de Montisburgo, Petrus eadem permissione abbatie Sancte Trinitatis de Exaquio et Thomas permissione eadem abbatie Sancti [Nicholai] de Blanca Landa, Constantiensis dyocesis, ministri humiles, salutem in Domino. Noveritis nos inspexisse verbo ad verbum cartam venerabilium virorum decani et capituli Saresberiensis ecclesie, [sigillo] eorundem sigillatam, non cancellatam, non abolitam, nec in aliqua parte viciatam sub hac forma :

« Omnibus Christi fidelibus presens scriptum visuris et audituris, Willelmus decanus et capitulum Saresberiensis ecclesie, salutem in Domino. Cartam venerabilis patris nostri Ricardi, Dei gracia Saresberiensis episcopi, inspeximus in hec verba :

« Omnibus sancte matris Ecclesie filiis ad quod presens scriptum pervenerit, Ricardus, divina permissione Saresberiensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino. Noveritis nos, inspecta carta venerabilis predecessoris nostri Herberti, quondam Saresberiensis episcopi, confirmasse capitulo Beate Marie Constantiensis tres marchas annua[ti]m in ecclesia de Wincerburne Stikellane, sicut in carta predicta plenius continetur. Nos eciam, attendentes memorati capituli honesta[te]m et libertatem, ad multiplicem instanciam venerabilis fratris Hugonis Constantiensis episcopi necnon et dicti capituli, ex donatione nostra quinque martas annuas concessimus capitulo memorato, ita quidem quod quicumque pro tempore ejusdem ecclesie fuerit persona octo martas annuatim dicto capitulo persolvat, salvis in omnibus jure, auctoritate et dignitate Saresberiensis ecclesie et nostra et successorum nostrorum ; et ut hec nostra confirmatio de tribus martis a domino H[ugoni] Saresberiensis episcopo prefato capitulo collatis et donatio nostra de quinque martis in eadem ecclesia eidem de novo concessis perpetue firmitatis robur optineant, presens scriptum sigilli nostri munimine roboramus. Datum apud Novas Sarisburias, per manum Johannis cappellani nostri, sexto ydus marci, pontificatus nostri anno sexto. Hiis testibus, domino Ricardo de Mapndr., Bartholomeo de Kemosye, Valentino canonico Saresberiensis, Hugone Malet milite, Thoma de Gosle, Willelmo de Hortoune, Andrea Camerario, magistro Rogero et multis aliis ».

Nos igitur concessionem et confirmationem venerabilis patris nostri R[icardi], Dei gracia Saresberiensis episcopi, ratam habentes, sigilli nostri appositione roboramus ».

Nos igitur predictam concessionem et confirmationem venerabilis patris nostri R[icardi], Dei gracia Saresberiensis episcopi, ratam habentes sigilli nostri appositione eam roboramus. In cujus rei testimonium, nos predicti abbates testimonium veritati perhibere volentes, huic transcripto predictae carte ad petitionem predicti Constanciensis capituli sigilla nostra duximus apponenda. Datum anno Domini M° CC° septuagesimo tercio, mense novembris.